DE BLEPHAROPHIMOSI ET CANTHOPLASTICE.

DISSERTATIO INAUGURALIS OPHTHALMOLOGICO-CHIRURGICA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS IURIBUS ET PRIVILEGIIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE IENENSI

RITE OBTINENDIS

DIE X M. AUGUSTI A. MDCCCXL

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GRUNO HERRMANN

SAXO

MEDICINAE ET CHIRURGIAE PRACTICUS.

IENAE

TYPIS SCHLOTTERI.

VIRIS

ILLUSTRIBUS EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSIMIS EXPERIENTISSIMIS

FRIDER. AUG. AB AMMON

POTENT. REG. SAXON. ARCHIATRO ET A CONSILIIS AULAE ORDINIS SAXON. VIRTUT. CIVIC. EQUITI TYPHLOTROPH. ET INSTITUT. OPHTHALM. DRESD. MEDIC. PRIMAR. ACADD. MED. HAFNIENS. MOSCOVIT. PARISIENS. HOLMIENS. ET SOCIETAT. PHYSICAL. ET MED. BEROLIN. BONNENS. DRESDENS. ERLANGENS. FRANCOFURT. AD M. FRIBURG. HANAV. HEIDELBERG. JASSIENS. LIPSIENS. LUGDUN. MARBURG. MINDENS. TURICENS. SODALI ETC.

ET

AEMILIO HUSCHKE

SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENS. ET ISENACENS. A CONSILIIS AULIC. MEDICIN. PROFESS. PUBLIC. ORDIN. THEATR. ANATOM. ET MUSEI ANATOM. MAGNIDUCAL. DIRECTOR. SOCIETAT. MINERALOG. JENENS. MEDICO-CHIRURG. BEROLINENS. NATUR. SCRUTATOR. SENKENBERGIAN. SOCIETAT. AD FOVENDAS ART. UTILES FRANCOFURT. PHYS.-MEDIC. ERLANG. NATUR. SCRUTATOR. HALENS. CAES. REG. MEDIC. VIENNENS. SODALI

HOC OPUSCULUM

VERAE AESTIMATIONIS ET GRATISSIMI ANIMI
DOCUMENTUM

ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Praefamen.

Quum in eo essem, ut ad summos in medicina et chirurgia honores capessendos de materia aliqua medica vel chirurgica scriberem, diu in eligenda materia ipsa eaque apta incertus haerebam. Tandem, Viro Illustri AB AMMON suadente, blepharophimosin, morbum palpebrarum congenitum et hucusque in nullo libro peculiari descriptum et canthaplasticen, novam operandi methodum, a Viro illo paucis annis ante inventam accuratius exponendas suscepi. Meum est, ut Viro illi Illustri, qui innumera humanitatis et benevolentiae documenta in me contulit, palam gratias, quas possum maximas agam, non solum quod in eligenda scribendi materia mihi fuit auctor et suasor, sed etiam quod me, qui blepharophimosin et canthoplasticen accuratius exponerem, dignum existimavit.

Vos, Lectores benevoli, enixis precibus rogo, ut has studiorum meorum primitias ea, qua par est, clementia dijudicetis. Aliud laboris mei praemium, quam ut de eo dicatis:

„Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas"

minime appetere mihi licet.

I. *Blepharophimoseos onomatologia et historia.*

Quamvis *Ph. a Walther* 1) palpebrarum et praeputii morbos ingeniose inter se comparavisset, nemo tamen scriptorum ophthalmologicorum morbi mentionem fecit, quem primus Illustrissimus *ab Ammon* 2) descripsit atque *palpebrarum phimosin* s. *blepharophimosin* (a graecis vocibus *βλέφαρον* et *φίμωσις*, angustia) denominavit.

Quae morbi denominatio non solum ob significationem genuinam, qua vox „phimosis" (a *φιμός*, capistrum) jam apud veterum medicos utitur, sed etiam propter magnam similitudinem, quae inter illam, sensu strictiore adhibitam, (praeputii praeclusio, ut glans nudari non possit) atque eum palpebrarum morbum, quem sum descripturus, intercedit, haud inepta esse videtur. Phimosin vero cujuslibet meatus naturalis coarctationem vel completam concretionem audire, inter alios

1) Vide: *Journal für Chirurgie und Augenheilkunde v. Philipp v. Walther und v. Gräfe. Bd. VII. St.* 2. *S.* 367.

2) *Hecker's literarische Annalen der gesammten Heilkunde. Bd. XIII. S.* 19.

scriptores **Paulus Aegineta** et **Galenus** testantur. Ille enim de orificii uteri angustia haec scribit: *Γίνεται φιμὸς περὶ τὸ στόμα τῆς ὑστέρας ἢ δι' ἕλκωσιν προηγουμένην, ἢ διὰ φλεγμονὴν σκιῤῥωδεῖσαν.*" Hic vocem hoc modo declarat: „Phimosis nascitur omnibus meatibus et locis, quae natura diduci possunt, ut oculis, labiis, ano, praeputio, utero. Verùm de praeputio sic glandem tegente, ut ea nudari non possit, frequentius dicitur."

Idem vir ille Illustris, qui blepharophimosin primus accurate descripsit, cum experientia, eam variorum et bulborum oculi et palpebrarum morborum causam evadere, persuasum sibi haberet, et novam illam curandi methodum ab ipso „*Canthoplastice*" [1]) vocatam invenit ejusque eventum prosperrimum in uno casu compertum retulit [2]). Canthoplasticen, quam infra latius delineabo, Inventor adhuc compluries et ad alios palpebrarum morbos removendos, verbi causa ancyloblepharum partiale, blepharospasmum habitualem semper felicissimo eventu peregit, eoque modo chirurgiae plasticae ab ipso „Morioplastice" [3]) appellatae, qua una cum tenotomia dies nostri summopere excellunt, novam eamque ob visus integri gravitatem nobilissimam partem addidit.

---

1) A graecis *κανθός*, angulus, *κατ' ἐξοχήν* oculi et *πλαστική*, scil. *τέχνη*, ars formandi.

2) Confer: *V. Ammon's Zeitschrift für die Ophthalmologie. Bd.* II. *S.* 140—147.

3) Vide: *Rust's Magazin. Bd.* XXX.

II. *Blepharophimoseos pathologia.*

Blepharophimosis id est primae conformationis vitium, in quo palpebrarum rima pro bulbi oculi ambitu nimis angustam atque naturali minorem se exhibet, ut, doloribus non effectis, illas nec aperire, neque faciem palpebrarum inferiorum internam contemplari possimus. [1]

Qua blepharophimoseos definitione duo palpebrarum vitia, quibus idem nomen tribuendum videri posset, excluduntur. At eorum naturam atque causas accuratius perscrutati, illorum alterum vitium omnino non, alterum aliorum morborum varii generis symptoma esse, intelligemus.

Unum vitiorum illorum, quod blepharophimoseos nomen sibi vindicare posset et ab Illustrissimis *Seiler* [2] et *ab Ammon* nec non ab Exp. *Gescheidt* [3] satis frequenter observatum est, uti blepharophimosis vera atque congenita nimia rimae palpebralis angustia consistens, semper una cum microphthalmo

---

1) Conf.: *Zeitschrift für die Ophthalmologie von v. Ammon. Bd. II. Tab. I. Fig.* 5. et

Die angebornen chirurgischen Krankheiten des Menschen in Abbildungen dargestellt und durch erläuternden Text erklärt. Von v. Ammon. Berlin 1839. *Tab. V. Fig.* 10.

2) Conf.: *Beobachtungen ursprünglicher Bildungsfehler und gänzlichen Mangels der Augen bei Menschen und Thieren v. B. W. Seiler. Dresden* 1833. *S.* 34.

3) *Ueber Mikrophthalmus oder die angeborne Kleinheit der Augen v. Gescheidt. In v. Ammon's Zeitschrift für die Ophthalmologie. Bd. II. S.* 261. 262. 264. 266.

occurrit eamque ob causam phimosis non est dicendum, quod justa cum oculi bulbi ambitu proportione gaudet. Etiam in hoc casu lex illa primae conformationis, partes organon quoddam cingentes fere semper pro hujus conformatione integra aut vitiosa formari, constat, neque rimae palpebralis nimia angustia et coarctatio cum microphthalmo conjuncta phimosis aptius denominanda, quam praeputium angustius et minus, quod cum glande naturali minore occurrit, phimosin appellari non licet.

Alteri vitio, cujus natura eadem rimae palpebralis nimia angustia et brevitas est, aliud nomen, quam ***blepharophimoseos symptomaticae*** non est attribuendum. Cujus variae species plerumque his palpebrarum et bulborum morbis originem debent.

I. Ophthalmia neonatorum, scrofulosa, catarrhali, rheumatica, arthritica aliisque oculi morbis rimae palpebralis apertura eo coërcetur et imminuitur, quod, si inflammatio majorem vehementiae gradum nacta est, aut blepharospasmus exsistit aut rima illa palpebrarum tumore introrsum et oculi bulbum versus dirigitur. Quae blepharophimosis symptomatica, proclivitate ad entropia et ectropia excellens, inflammatione sublata, plerumque ultro cedere solet, eadem ratione, qua praeputii phimosin balanitide exortam hac ipsa soluta disparere, notum est.

II. Si palpebrae, quod prae ceteris in neonatis observatur, nimia adipis copia tument, quare palpebrarum rima introrsum conversa et angustior et naturali minor esse videtur, blepharophimosin symptomaticam produci, experientia satis frequenter edocemur.

Huic vero speciei magna ad entropia et ectropia (ad haec potissimum, si palpebrae parum caute aperiuntur) opportunitas est propria.

III. Tarsi palpebralis varii morbi, imprimis inflammatio, quacum tumor ejus est conjunctus et emollitio vitiosa, tum cum, tarsis introrsum vergentibus, rima palpebralis coarctatam sese praebet, blepharophimosin symptomaticam efficiunt.

IV. Denique bulbi oculi atrophia et microphthalmus acquisitus blepharophimoseos causae eo evadunt, quod palpebris marginibusque orbitalibus collapsis et inflammatione chronica, quae simul adesse solet, indurats, musculorum orbicularium actio sensim plane tollitur atque hoc modo rima palpebrarum introrsum vergentium nimis angusta existit. Quae blepharophimoseos species, in qua palpebrae diduci non possunt, lippitudinem atque palpebrarum nictitationem plerumque comites habet ac per vitam perdurat, quum illi morbi, quibus effecta est, arte difficillimae sint remotu.

Quin, palpebrarum phimoseos natura et speciebus illustratis, Lectoris benevoli animum in palpebrarum morbum, quocum illa potissimum commutari potest, convertam, omittere non possum, eo magis, quoniam eadem nova operandi methodo, quam Illustrissimus *ab Ammon* ad blepharophimosin congenitam amovendam invenit, curari possit. Hic palpebrarum morbus *Ancyloblepharum partiale* s. *blepharostenosis partialis* vocatur. Inter hunc morbum et blepharophimosin ea similitudo intercedit, quod in utroque morbo rima palpebrarum est nimis angusta et naturali minor. Differunt autem inter se, quod in blepharophimosi con-

genita tota palpebrarum rima, cantho externo non deficiente, pro bulbi oculi ambitu est nimis angusta et minor, in ancyloblepharo partiali autem eo angustior conspicitur, quod canthus externus, cujus margines inter se sunt connati, plane abest. Praeterea blepharophimosis vera nonnisi morbus congenitus occurrit, dum ancyloblepharum et congenitum et acquisitum observatur. Illud ex iisdem primae conformationis vitiosae legibus, quibus blepharophimosis exoritur, prodit; hoc inflammatione marginum palpebralium adhaesiva, qua potissimum canthus externus corripitur, et causis internis et externis exorta produci solet.

Ut pro viribus blepharophimoseos congenitae origini declarandae accedam, nunc necessarium esse mihi videtur.

Prima oculorum conformatione, cujus cognitio ad morbos eorum congenitos declarandos est sine dubio gravissimi momenti, *Huschke*, 1) *ab Ammon* 2) et *Seiler*, 3) virorum illorum Perillustrium meritis indagata et examinata, *ab Ammon* imprimis explorationibus, quas in foetibus humanis, quadrupedum et avium instituit, de prima palpebrarum conformatione haec debemus.

---

1) *Ueber die erste Entwickelung der Augen. In Meckel's Archiv für Anatomie und Physiologie. Bd. VI. S.* 1.

2) *Skizze einer Entwickelungsgeschichte des menschlichen Auges nach eigenen Untersuchungen entworfen. In dessen Zeitschrift für die Ophthalmologie. Bd. II. S.* 501—523.

3) *Beobachtungen ursprünglicher Bildungsfehler und gänzlichen Mangels der Augen. Dresden* 1833.

In foetibus humanis prima palpebrarum vestigia mense graviditatis tertio et quarto, quo tempore nonnisi plicas angustas sese ostendunt, reperiuntur. Illa primae formationis periodo oculorum bulbi glandibus, quae putaminibus e dimidio sunt spoliatae, haud absimiles conspiciuntur. Sub mensis tertii finem vel demum quarti parte dimidia elapsa palpebrae bulbos oculorum ex toto contegere incipiunt. Quinto graviditatis mense exeunte foetus pelpebrae sunt clausae, firmiter inter se cohaerentes atque, licet non concretae, tamen conglutinatae. Quae cum hoc formationis tempore in statu recenti examinantur, propaginibus membranaceis, quae oculorum bulbos obducunt, atque multis vasis sanguiferis praeditae cernuntur. In harum propaginum medio cicatrix transversa, quae oculorum formatione progrediente rima palpebralis exsistit, conspicua est, et oculo armato visa duabus striis longitudinalibus, luteis, anguste se tangentibus et glandulas Meibomianas recondentibus constat.

Quod primae conformationis stadium, quo, sicuti modo commemoravi, rima palpebrarum futura cicatrice illa transversa indicatur, blepharophimoseos originem continet, qua propter accuratior illius explanatio non supervacua mihi videbatur.

Quaenam, qualesque causae autem nutritionem et conformationem foetalem ita alienent, ut e cicatrice illa transversa in palpebrarum medio conspicua rima palpebralis nimis angusta, eaque ratione blepharophimosis congenita evadat, eadem, qua alius morbi congeniti ortus ut declarentur, difficultate laborant. Id solum constat, blepharophimoseos causas proximas in eo

positas esse, quod cicatrix illa, palpebrarum rimae principium aut primordio nimis brevis sit formata aut quod etiam pro bulbi ambitu normalis facta et justa longitudine praedita sit, progrediente oculorum conformatione, parum dehiscat. 7) Quod denique ad blepha-

7) Ut hoc loco nonnulla de primae palpebrarum et praeputii formationis ideoque etiam palpebrarum et praeputii morborum congenitorum similitudinibus addam, valde impellor. Primis vitae foetalis mensibus, pariter atque in palpebris observatur, non aliud praeputii vestigium, quam propago cutanea e pubis regione originem trahens est obvium, penis glandem eadem ratione cingens, qua palpebris eo tempore, quo nonnisi plicae exiguae sunt, oculorum bulbi circumdantur. Hac periodo, si qua causa conformatio persistit, duo palpebrarum et praeputii vitia congenita eaque phimosi prorsus opposita, in illis scilicet ectropium, in hoc vero paraphimosis, nascuntur. Praeputii morbus congenitus, in quo ejus apertura plane concreta est, ut neque super glandem illud retrahi neque urina mitti possit, Ancyloblepharo, in quo palpebrarum margines ita connati sunt, ut nullo modo diduci possint, respondet et *Phimosis completa* s. *Ancyloposthium* (ab ἀγκύλος, curvus s. potius ab ἀγκύλη, corrigia et πόσθιον, praeputium) est appellandus. Defectus praeputii congenitus (vel completus vel incompletus) cum palpebrarum defectu congenito, qui idem vel completus vel incompletus exstat, apte comparari potest. Dum hunc *Aposthium* ab α privat. et πόσθιον, praeputium) appellare libet, palpebrarum defectum Lagophthalmum vocamus. Praeputii cum penis glande coalitus ei palpebrarum vitio, in quo palpebrarum facies interna cum tunica bulbi oculi conjunctiva connata est quodque symblepharum appellatur, respondet et *symposthium* (a σύν, con et πόσθιον, praeputium) nuncupari potest. Palpebrarum fissura, quae coloboma nominatur, diversa ratione cum praeputii fissura congenita (*Posthiorrhagia*, a πόσθιον, praeputium et ῥαγή, fissura) congruit, quae, sicut illa aut simplex aut cum iridis colobomate complicata occurrit, eadem aut simplex aut cum urethrae fissura (Hypospadia) observatur.

rophimoseos congenitae effectus in oculi integritatem attinet, hos pro rimae palpebralis angustia modo violentiores, modo mitiores observari, est monendum. Mitiores blepharophimoseos gradus saepe diu, nullis inde molestiis effectis, adsunt neque prius, quam oculi morbo aliquo inflammatorio corripiantur, accusari solent. Etenim inflammationibus vel palpebrarum vel oculi bulbi quamvis minus vehementibus brevi tempore, palpebrarum phimosi exstante, blepharospasmus, qui facile saepeque redditur habitualis, exoritur. Quo spasmo palpebrarum perpetuo tarsi sensim introrsum vertuntur, ut hoc modo blepharophimosin et entropii licet causam remotam animadvertamus. Simul distensione canthi oculi externi continua hic ipse exulceratur facileque cruentatur. Praeterea ophthalmiis, quae magnam ad recidiva proclivitatem habent, non solum nictitatio palpebrarum habitualis et entropia, sed etiam corneae maculae atque visus hebetudo producuntur. Quae res blepharophimoseos gravitatem satis argumentantur nec non canthoplastices, novae eam operandi methodi summam dignitatem testantur.

III. *Blepharophimoseos cura.*

Ut blepharophimoseos cura propter hunc morbum ipsum suscipiatur, raro accidit, plerumque vero ob morbos, qui eam sequuntur, verbi causa ob nictitationem palpebrarum diuturnam, ob entropium et blepharophthalmiam chronicam instituatur necesse est. Blepharophimoseos species, quam supra symptomaticam dixi, quoniam aliorum morborum sequela est, nonnisi his remotis disparebit, quapropter ejus cura cum morborum, quibus producitur, curatione plane convenit, nec huc pertinet.

A. *Canthoplastices historia.*

Quum Illustrissimus *ab Ammon*, blepharophimosin congenitam variorum morborum, verbi causa nictitationis palpebrarum diuturnae, entropii, blepharophthalmiae chronicae, macularum corneae vel ophthalmiae verae causam fieri, duorum casuum experientia edoctus intelligeret, primum, ut hos morbos curaret, ad illius curam est aggressus hocque modo novam operandi methodum, quam Canthoplasticen vocavit, chirurgiae plasticae addidit. Vir ille Illustris ad canthoplasticen conficiendam, cantho oculi externi inciso marginum novi canthi concretionem eo impedire voluit, ut cutem introrsum flexam secum ipsa uniret. Sed haec res et incisurae brevitate et cutis rigiditate prohibita est.

Nunc vir Illustris conjunctivam oculi bulbi, quam ad palpebras vergentem plicas satis magnas formare videret, confestim in canthi externi incisuram transplantare ibique inserere constituit, eadem ratione, qua ***Dieffenbach***[1]) ***Werneck*** et ***Inventor***[2]) canthoplastices ipse in stomatopoëseos et chilophlastices operationibus membranam oris et labiorum mucosam transplantare solent.

---

1) Vide: *Dieffenbach's Erfahrungen über die Wiederherstellung zerstörter Theile des menschlichen Körpers. In v. Gräfe's und v. Walther's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. XIV. Heft* 2. *S.* 202.

2) *V. Ammon, über Chiloplastik in medicinisch-chirurgischen Encyclopädie v. Busch, Gräfe, Hufeland. Bd. VII. S.* 417—470.
Ed. Zeis, Handbuch der plastischen Chirurgie. Berlin 1838.

B. *Canthoplastices indicationes.*

Indicia, quae canthoplasticen necessariam reddunt, potissimum haec sunt:

a) Haec nova operandi methodus indicata est tum, cum blepharophimosis ea via, quam supra descripsi, aut blepharospasmi diuturni aut entropii aut una utriusque morbi causa exstitit. Qui morbi hoc in casu aliis remediis et operandi methodis nunquam, nisi blepharophimosis eos producens sublata sit, cedent atque jure verendum, ne priori tempore, neque blepharophimosi cognita neque canthoplastice inventa, saepissime a medicis ignaris insanabiles sint declaratae.

b) In eo blepharophimoseos gradu, quem inflammatione oculum corripiente, non modo hanc ipsam adaucturum, sed alios quoque morbos, ut entropia, blepharospasmum perpetuum, blepharophthalmiam chronicam effecturum esse, certo providetur, medici est, ut homines illo vitio congenito laborantes ad canthoplasticen ferendam, permoveat. Quod tamen rarissime medico contingit, quum, praeceteris congenita vitia, plerumque non prius, quam molestias quasdam produxerint, animadvertantur.

c) In ancyloblepharo partiali s. blepharostenosi partiali, cui, ut jam supra dictum, multum cum blepharophimosi similitudinis est, canthoplastice eam ob causam aliis operandi methodis praeferatur, quod unica oculi conjunctiva in incisuram arte factam transplantata, quo minus margines sibi oppositi connascantur, impeditur.

d) Eadem de causa etiam in ancyloblepharo completo, si marginum palpebralium coalitus ad canthum

oculi externum pertinet, canthoplastice est suscipienda. Quo in casu haec operatio, ancyloblepharo usque ad canthum externum remoto, fiat necesse est [1]).

C. *Canthoplastices descriptio.*

Canthoplastice hoc modo perfici solet: Palpebrarum marginibus satis distractis earum rima usque ad marginem orbitalem externum scalpello inciditur, ita ut hic intra canthum oculi externum impositus cutem extrorsum transfigat. Quibus factis tunica oculi conjunctiva, earum plicis latentibus plerumque sub palpebrae inferioris parte exteriori lino duplicato affixis, in palpebrarum rimam incisura dilatatam trahitur. Nunc cutis illo lino acus tenuis ope in extremo incisurae limite ab interiori ejus facie extrorsum perforatur et nodo, ut fieri solet, affigitur. Deinde particulis cutaneis forfice abscissis et hac ratione incisura arte facta et prioribus canthi externi finibus juste coaequatis, conjunctiva acubus et linis sericis tenuissimis vulneris marginibus accuratissime inseritur, eo modo, ut suturae ex interiori marginum facie extrorsum imponantur [2]).

D. *Duo blepharophimoseos congenitae casus ab Illustrissimo ab Ammon observati et canthoplastice sanati.*

Bormann, 38 annos nata eo corporis habitu, quem Cretinismum appellare solemus, praedita est.

1) Conf.: *Blasius Handbuch der Akiurgie. Halle* 1840. *Bd. II. S.* 55.

2) Conf.: *v. Ammon's Zeitschrift für die Ophthalmologie. Bd. II. Tab. I. Fig.* 7.

Illo tempore, quo ab arte Ill. *ab Ammon* auxilium imploravit, haec in oculis inventa sunt: Palpebrarum rima valde angusta et naturali minor, entropium, nictitatio palpebrarum diuturna, blepharophthalmia chronica, quae causis etiam levioris momenti in veram ophthalmiam transire solebat, et maculae corneae. Quorum morborum causa sola blepharophimosis fuit accusanda nec fore ut tollantur, sperari potuit, nisi illa arte remota sit. Postquam propter constitutionem valde cachecticam et excretionem nasi fere purulentam mulieri aegrotae complures per dies victus largior subtractus eique nonnulla alviduca propinata fuerunt, canthoplastices operatio primum in oculo dextro eadem ratione, quam supra descripsi, ab Ill. *ab Ammon* est peracta.

Operatione finita fomentationes frigidae super oculum fiebant et vulneris margines per diem compluries caute distrahebantur, ne exsudatione plastica exsistente, canthi novi concretio efficiatur. Octo dierum spatio praeterlapso, inter quod et lina, quae bulbi conjunctivae insertionem in margines palpebrales effecerunt et illud linum, quo conjunctiva in incisuram arte factam protracta est, soluta sunt, canthus oculi externus tam perfecte conformatus apparuit, ut palpebrarum rima parte tertia increvisse videretur [1]). Paucis diebus post entropium, cutis segmento exciso est sanatum atque omnes reliquae molestiae blepharophimosi praegressa allatae brevi tempore disparuerunt.

Zinnerti filia, 19 annos emensa, constitutione valde scrophulosa praedita ab aetate infantili blepharo-

1) Conf.: *v. Ammon's Zeitschrift für die Ophthalmologie. Bd. II. Tab. I. Fig.* 6.

phthalmia chronica laboravit, quae etiamsi varia remedia ad eam sanandam adhiberentur, vinci non potuit.

Ill. *ab Ammon* de hoc morbo consultus, quum explorationem oculorum diligentiorem institueret, haec ei se praebuerunt: In utroque oculo blepharophimosis congenita, entropium, blepharophthalmia chronica, nictitatio palpebrarum continua, maculae corneae atque visus hebetudo.

Vir ille Illustris experientia edoctus et minime dubitans, blepharophimosin omnium illarum molestiarum esse causam principalem, primum ante quadriennium ad canthoplasticem oculi dextri perficiendam accessit, eademque operandi methodo usus haud sequiori eventu, quam in priori casu a me descripto, eam peregit. Paulo post entropii curatio, cutis segmento exciso, est perfecta. In altero oculo ante hos tres menses canthoplasticen eodem successu felicissimo *ab Ammon* suscepit.

Nunc quinquennio fere elapso puellae illius oculi hoc modo sese ostendunt: Rimae palpebrarum, antea nimis angustae, sunt normales, justa cum oculorum bulborum ambitu proportione utentes, canthus oculi utriusque externus optime conformatus; entropium, blepharophthalmia chronica atque nictitatio palpebrarum continua plane sublatae, cornearum maculae multo diminutae et visus denique integritas paene restituta.

THESES.

I.

Chirurgia fuit mater medicinae.

II.

Recte Celsus pulsum morborum signum fallacissimum dicit.

III.

Linguae habitus in omnibus morbis est signum gravissimum.

IV.

Methodus antiphlogistica nostris diebus et in inflammationibus acutis est cautissime adhibenda.

V.

Medicamenta quaeque simplicissima sunt optima.

VI.

Oculus totius corporis speculum est.